



## ORATIO XV.

DE GOTHARDO, IN LIVONIA  
Curlandiæ & semi-Galliæ Duce.

à

Davide Chytræo.

**D**Eus æternus, conditor & custos ac conservator generis humani, & supremus omnium Regum & Principum Dominus, magno consilio & sapientiâ singulari, Imperia & Politias in terris ipse constituit & distinguit: & Regiam majestatem, ac Principum celsitudinem, altè supra ceteros homines extulit ac exexit, ut summi Domini Dei imaginem & vices in terris gerant, & salutaria Dei organa sint, quæ invocationi Dei & servatoris nostri Jesu Christi, & sapientiæ, bonitati, justitiæ, ac ceteris virtutibus in genere humano propagandis serviant. Ut enim pulcherrimus naturæ ordo, cælum, lumina, stellæ, vices dierum ac noctium, æstatis ac hyemis, Dei opera, & illustria de Deo conditore testimonia sunt: ita hic ordo in civili hominum societate, ad normam legis seu sapientiæ & justitiæ divinæ congruens, quod certæ personæ magistratum & Principum, juxta honestas leges subditos regunt, ut honestè & modestè vivant, & bonos defendunt ac ornant, contumaces ac sceleratos puniunt, & pacem tuentur, &c. à Deo ipso institutus est, ut Dei sapientia, bonitas, justitia, in legibus, judiciis, defensione justorum, & pœnis malorum, ab hominibus agnoscatur & celebretur. Ac ut his nervis colligati hominum cœtus in regnis & civitatibus,

bus, incolumes & tranquilli serventur, propter hunc summum finem, ut vera de Deo & servatore nostro Jesu Christo doctrina, in cœtu & frequentia hominum luceat & latè spargatur, & multi homines ad veram Dei notitiam perveniant, & æterna Ecclesia Deo in terris colligi & conservari possit. Ut igitur leges (quæ justa & injusta discernunt) judicia, & pœnæ, sapientiam & justitiam Dei demonstrant: ita singulare de præsentia Dei in gubernatione testimonium est, quòd inter tam varias confusiones, malitiam & rabiem Diaboli, & organorum illius tyrannorum, qui omnia vastare ac simul evertere moluntur: tamen suos magistratus & aliquos bonos Principes mirabiliter, & præter multorum expectationem Deus custodit & tuetur. Sicut unusquisq; periculorum gubernationis nõ ignarus, & varias rerum humanarum vices & mutationes in mundo considerans, fateri cogitur, gubernationem plenam esse mirabilium operum Dei, quæ manifestè testatur à Deo Imperia conservari, aliàs clementius & placidius, aliàs infirmius & inquietius, ut agri uno anno uberiores, altero steriliores existant, ita in Imperiis, ob cummulata priorum magistratuum & subditorum peccata, aliàs perturbatius omnia agitantur & fluctuant, aliàs tranquilliora sunt. Ut Ezechias non tot gloriosas de hostibus victorias, ut David obtinet, & tamen mirabiliter à Deo juvatur & defenditur, etiam si hostes simul magnam cladem & damna toti Judææ adferunt. Tales bonos, pios & fidos gubernatores interdum Deus Ecclesiæ suæ tribuit, qui salutaria Dei organa sunt, per quæ miseræ & afflictas provincias iterum reficit ac recreat, & publicas totarum gentium pœnas clementer mitigat, ac disciplinam, judicia, pœnas scelerum, metum pœnarum, amorem virtutum, Ecclesias, veram doctrinam, & alia

bona Dei salutaria rursus instaurat & propagat, ut Syracidæ 10. scribitur: Gubernatio terræ in manu Dei est, is nonnunquam dat bonos magistratus. In manu Dei est, ut gubernatoribus aliquid feliciter succedat.

Talis à Deo datus Princeps pius, sapiens, magnanimus, justus, & salutaris, ac verè eximium Dei donum, per quem in magnis mutationibus, & tristissimis distractionibus & vastationibus Livoniæ, Deus publicas calamitates, & prioribus peccatis cumulas pœnas, clementer mitigare, & regiones illas, post tantas in tam diuturnas miserias, rursus recreare, & collapsam gubernationem, veram religionem, disciplinam & justitiã restituere & conservare voluit: hic Illustrissimus & laudatissimus Princeps & Dominus, Dn. Gothardus, in Livonia Curlandiæ & semi-Galliæ Dux, laudatissimæ & piæ memoriæ, fuit, quem Deus ipse, ut vas misericordiæ, & organum gloriæ suæ, qui ad veram Dei agnitionem & invocationem, honestam disciplinam, justam & piam obedientiam, in se ipso & subditis excitandam & propagandam, fidelis Dei minister fuit, peculiariter elegit, & donis ingenii, sapientiæ, bonitatis, mansuetudinis, justitiæ, & aliis magno Principe dignis instruxit, ac in tot variisque, & omnem humani ingenii captum longè superantibus periculis clementer servavit & protegit, & ad salutaria consilia & actiones ipsi & Reipublicæ salutare gubernavit. Et quanquam infestissimus Livoniæ hostis Moschus, multos continuos annos, vicinas trans Dunam sitas regiones, assiduis impressionibus, rapinis, vastatione & atrociniis persequeretur & vexabat: tunc etiam, cùm Rex Stephanus Dantiscum obsidione cingeret, ferè universas deglutivisset, ac omnia ferè oppida & arces occupasset: qua de causa etiã optimus & laudatissimus Prin-

ceps, perpetuis curis, belli apparatusibus, timore & angoribus conflictabatur: tamen singulari clementiâ & providentiâ æterni Dei, Cels. S. ditiones, non gladio & arcu, sed Dei & sanctorum angelorum excubiis, adversus Moscorum impressiones & vastationes semper ferè custoditæ sunt, ut Ecclesia Dei, quam Cels. ipse velut hortum pulcherrimum, & paradysum Dei, in quo teneras plantas cœlestes Deum rectè agnoscentes, invocantes & celebrantes recens educari curarat, tranquillum hospitium in Cels. S. gremio & protectione habere & retinere posset. Hęc multiplicia & illustria præsentiæ Dei, & defensionis ac clementiæ divinæ testimonia, in hujus laudatissimi & optimi Principis laboriosa, & plenâ periculis gubernatione, decet nos non modò ad Christiani & beati Principis honorem, ac memoriæ gratæ celebrationem, sed etiam in Dei nostri laudem & prædicationem, qui ipsum singulari clementiâ, ut adfectæ Livoniæ, ac multis aliis hominibus saluti & solatio esset, excitavit, & rexit, & mirabiliter supra hominû expectationem conservavit, gratâ mente & voce agnoscere, magnificere, ac multis, etiam posteris nota reddere, ac ut singularia Dei opera enarrare & celebrare debemus. Sicut Deus ipse in Psalmo præcipit, hæc scribi ad posteritatem, ut populus, qui adhuc creabitur, Deum celebret. Verè enim hujus pii & laudatissimi Principis vita universa, imago & speculum omnium Christiano Principe dignarum virtutum fuit, in quâ vera agnitio & invocatio Dei ac salvatoris nostri Jesu Christi, verus timor Dei, & fides erga Deum & homines sincera, & vera obedientia erga Deum effulsit, qui non solùm subditos suos in verâ pietate institui & regi curavit, verùm à sua persona exorsus, ipse veram Evangelii doctrinam diligenter audivit, legit, meditatus, & verâ fide ample-

xus est: per quod medium Spiritus S. Cels. ipse rexit, & ad veram agnitionem & invocationem Dei, & Domini nostri Jesu Christi duxit, & in tam variis & magnis periculis, angoribus, & bellorū curis sustentavit, consolatus est, refecit & confirmavit, ut alacri animo & corde, in Dei præsentia, clementia & protectione, adquiescere, & in adversa fortuna Deo confidere, ac clementem mitigationem & liberationes à Deo sperare & expectare potuerit. Nam hæc divina consolatione remota, nullo modo Cels. ipse se in tam gravibus, & humano consilio inextricabilibus periculis & angoribus sustinere, & in fide ac patientia perseverare potuisset. Sicut multorum præstantium Principum corda, in ejusmodi casibus vel omninò à Deo defecisse videmus: ut Pompejus amisso prælio, cum Cratippo disputat, Imperia fortuitò & casu ferri, absq; Dei consilio: vel in desperationem & blasphemias adversus Deum incidunt: ut Saul existimabat se in æternum à Deo abjectum esse, quòd à Philisteis cæsus, & à Deo depositus erat. David autem, Jonathas, & hic pius Dux Curlandiæ, agnoscunt Imperia in terris, in Dei potestate esse, qui ea, cui ipse velit, tribuat, ac sciunt, se ad obedientiam Deo præstandam esse obligatos, etiamsi interdum insuaviter collocentur, ut S. Petrus loquitur: Humiliamini sub potenti manu Dei, quæ nō solum ad puniendum & opprimendum, sed etiā ad liberandum, & rursus evehendum omnipotens est. Et S. Paulus: Pax Dei, qui superat omnem sensum, custodiat corda & mentes vestras per Jesum Christum. Quam autem sit difficile, hanc fidem, humilitatem, patientiam & pacem in corde erga Deum in tantis angoribus & periculis conservare, demens, ebrius & securus hic mundus non intelligit. David autem plerisque Psalmos spiritu & consolatione plenos, in hæc

schola elaboravit, cum ipsum Saul totum decennium persequeretur & vexaret, sæpè à vicinis hostibus obrueretur, & tandem à proprio filio ex sua domo & regno eiceretur. Ejusmodi etiam hujus laudatissimi & optimi Principis Curlandiæ, molesta & periculosa gubernatio, perpetua Christiana schola fidei, invocationis, & patientiæ, & hujus Domini cubiculum, vera Ecclesia & templum Dei fuit, ubi quotidie verbum Dei legi, audiri & considerari, ac Deus verâ invocatione, & gratiarum actione coli, & omnes Christiano dignæ virtutes exerceri solebant. Quos præcipuos, maximè Deo placentes, & summos cultus Dei, Celsitudo ipsius, non solum pro suâ personâ, verum etiam apud subditos in tota Cels. S. ditio-  
ne plantari & propagari curavit. Nam Cels. ipsius agnovit, se à Deo in hoc Imperium collocatum, sibi-  
que Dei verbo & præcepto, gubernationem fuisse commissam, ut huic summo Domino & Regi gloriæ portas in sua ditio-  
ne aperiret, & altè lateq; patefaceret, per quas hic gloriæ Rex introire, ac per suum  
verbum, sacramenta & Spiritum sanctum in Celsi-  
tudine ipsius, & suis subditis efficax esse, & habitare posset, eosq; filios Dei caros, & hæredes, imò cohæ-  
redes Domini nostri Jesu Christi faceret, ac ut Cels.  
ipsum Dei loco, apud subditos, veram Dei agnitio-  
nem, disciplinam & pacem servaret, & pacem non ad  
securitatem & otium, ad prophanam lætitiâ, & vo-  
luptates vitiosas, sed ad Ecclesiam & politicam gu-  
bernationem in emendatiore statum reducendam  
conferret. Quare Cels. ipsius, quamprimùm Deus  
mitigatis diuturnis & gravibus bellis, aliquid otii &  
tranquillitatis tribuisset, omnia ad laudabilem in-  
stitutionem & salutem Ecclesiarum & scholarum,  
ut Cels. suæ Ecclesiarum ordinatio typis expressa de-  
monstrat, consilia & actiones direxit, veram Evan-  
gelii

geli doctrinam in Ecclesiis prædicari mandavit, & falsam doctrinam ac ceremonias idololâtricas prohibuit & abrogavit, ac ut saluti subditorum, qui Teutonice linguæ multi ignari erant, consuleret, Evangelia, Catechesin cum explicatione Lutheri, Psalterium, & alias sacras cantiones, in eorum vernaculum sermonem transferri curavit.

Per Superintendentem utriusque linguæ peritum, & alios intelligentes viros, primò in generali visitatione omnia templa visitari, Ecclesiarum ordinationem pro cujusque loci conditione institui, pastorum & auditorum doctrinam & mores explorari, populum ad diligentem auscultationem verbi divini, & recitationem Catechismi excitari, veteres collapsas Ecclesias vicissim erigi, & reditus augeri curavit: ubi templa aliquantò longiùs distabant inter se, nova ædificare jussit, & de Cels. S. propriis redditibus, honestè dotavit & fundavit, & quicquid aliàs in visitatione ordinatum erat, severè executioni dari voluit. Deinde Cels. ipse quotannis certam partem regionis, per ordinarios Ecclesiarum inspectores visitari jussit, ac interdum propria persona Cels. ipse examinibus barbarorum hominum adfuit, & iis, qui Catechismum & sacras cantiones expedite recitabant, aliquantum pecuniæ, pannum ad vestes, & similia donari jussit, ut ipsos & alios hac ratione ad majorem diligentiam excitaret. Nec tum primùm hic Christianus & optimus Princeps, cum Cels. ipse post summi magistratus Livoniæ mutationem, Ducatus summi gubernationem susciperet, hanc diligentiam in Ecclesiis & scholis constituendis adhibuit, verùm & antequàm de Moscovitici tyranni irruptione quisquam cogitaret, cum tota adhuc ordinis majestas & potentia in summo flore essent, hæc consilia, quæ alii ordinis magistri parum curabant, seridè suscepit,

ut Ecclesiæ & scholæ sub ordine, meliorem statum essent, sicuti Cels. ipse, ante quadraginta duos annos, cum summi ordinis magistri commissarius Lubecæ, & adhuc Duneburgi commendator esset, mecum per sibi adjunctum nobilem, & literatum Georgium à Syberg, eo tempore domus Rigensis commendatorê, jam Principis Julianensis consiliarium, & capitaneum in Blanckenstein, agi voluit: quod quamprimùm eo tempore vixens cum Archiepiscopo controversia esset sedata, tantum apud ordinis magistrum, & ordinis præfectos se obtenturum rebatur, ut Parnoviæ ludus literarius vel Gymnasium erigeretur, in quo cum aliis artibus & linguis, præcipuè Catechismus ac summa doctrinæ Christianæ diligenter excoleretur, & barbarorum Esthonorum, Letiorum, & Curensum liberi, in Latinâ lingua ac Christiana doctrina ex fundamentis instituerentur, ac ad concionandum apti & prompti redderentur: mecum, inquam, egit, ut ejus Gymnasia Rectorem me futurum profiterer. Statim autem post reditum illius in Livoniam, ut unicuique notum est, horribile Moscovitarum bellum exarsit, in quo, quanquam Deus totam regionem, ob magistratum & subditorum ante cumulata peccata publicis calamitatibus punire cœperat, hosti Mosco fortuna, præter omnem expectationem, mirabiliter ubique adfluebat: tamen ad eum cordatum, animosum, & belli peritum se præbuit, ut prior ordinis magister Wilhelmus à Fürstenberg officio se abdicans, & totus ordo in summo provinciæ istius periculo, cum præcipua propugnacula in finibus sita, Nerva, Derbi, & alia jam amissa, omnis comeatus & thesaurus provinciæ exhaustus esset, hunc solum ex omnibus supremum Principem & caput, & summum ordinis magistrum elegerint. In quo officio nullam, quæ proficisci ab homine pos-

set diligentiam, providentiam & fidem in se desiderari passus est, verum à Romano Imperatore & sacro Imperio, ut supremis Livoniæ Dominis, aliisq; vicinis Regibus, nulla mora interposita, præsidium & auxilia petivit: aliquot etiã arces præcipuas & præfecturas, ut vicinorum Regum ope, provinciam Romano Imperio conservaret, oppignoravit. Cùm autem ab iis, à quibus præcipuè juvari meritò debebat, desereretur, ac ut in Judæa, cùm Chaldæi sub Nabucadnezar urbem Hierosolymam cèpissent, & præcipuos regionis incolas captivos secù in Babyloniam abducerent: reliqui in patria proceres, Ismaël Nathania, Johannes Carea, Godolias Ahicham, inter se novas distractiones & bella intestina incipiebant: ita in Livonia, neglecto infensissimo hoste, qui primarias arces & urbes in sinibus occupat, ac innumerabiles in Moscoviam captivos abduxerat, atq; in dies progrediebatur: tamen aliquot inquieti subditi novas distractiones & infortunia attrahebant, cum magno cuidam, qui deinde à Moscovita se Regem Livoniæ appellari patiebatur, contra legitimum magistratum se adjungerent, & ab alia parte Ericus Rex Sueciæ, urbem Revalcam & vicinas provincias occupasset, & sperata ac diu expectata à sacro Imperio Romano auxilia plenè emanerent: ut Rex Poloniæ promissis, ob oppignoratas arces per Moscos interceptas, teneri amplius nollet, nisi reliquæ Livoniæ provinciæ, penitus se R. majestatis suæ fidei & tutelæ permisissent: summa & inevitabilis ac extrema necessitas Cels. suam cum regno Poloniæ de defensione transigere coëgit. Quod etiam divina clementia & benedictione prosperè successit. Quàm diu enim Cels. ipsius gubernationem ex mandato regni Poloniæ administravit, mediocris pax & tranquillitas conservata est, etiam urbs Parnow, & aliæ

vicissim recuperatæ sunt. Deinde verò cùm quidam in trans Dunanâ regione, ut Reum, Simlai & Sana-ballath seditiones excitarent, & proprium gubernatorem expeterent: tandem Moscovitis seridè eos infestantibus, novus eorum gubernator aufugit, & miseros subditos in summis angustiis, Moscovitis horribiliter dilacerandos, vel in æternâ servitutem abigendos reliquit, 1577.

Sed de his politicis mutationibus, & Moscoviticis, Polonicis & Suecicis in Livonia bellis, & miserabilibus provinciæ vastationibus, cùm in aliis longè antè editis historiis descriptæ extent, hac vice nō ulterius mentionem faciendam putavi, sed de Christiani & optimi Principis Curlandiæ pietate, & aliis laudabilibus, & Principe dignis virtutibus, inchoatam orationem pertexam. Nam Cels. ipsius in Christiana gubernatione sua, subditos ad veram religionem, & cultus à Deo mandatos, non per edicta solum & peritos concionatores erudiri & admoneri curavit, sed etiam suo proprio, & laudatissimæ Principis conjugis suæ exemplo invitavit, & ad amorem & reverentiam erga ministerium adsuefecit. Ut in Psalmo 102. dicitur: pulcherrimum & beatissimum statū esse, in quo populi simul & Reges conveniunt, ut serviant Domino: & Psalmo 47. quando Principes populorum congregati sunt ad Deum Abrahamum, tum vehementer Deus à scutis vel dominis terræ elevatus est, ut temporibus Josaphat, Ezechix, Josiæ, habebant homines veram religionem, divinam protectionem, judicia & leges: videbantq; Dei miranda opera, qui his Principibus contra eorum hostes mirandas victorias, defensionem & pacem impertiebat. Atque ita Deus honore afficiebatur, cùm pii Principes existerent, cùm homines ad Dei agnitionem pervenirent, viderentq; magna benefi-

cia populo à Deo dari, propter pios principes, & hæc dona gratiarū actione celebrarent. Sic etiam Deus mirabiliter hoc diversorium suæ Ecclesiæ in Curlandia & semi-Gallia, pii Principis tempore umbra suæ manus protexit & custodivit: nec Ecclesias tantum, sed politicam etiam gubernationem, Cancellariam & judicia hic Princeps in suis ditionibus constituit, subditos, ac præcipuè graviores causas ipse audit, (ut hoc tempore adhuc Cels. ipsius filius Dux Fridericus, Domini parentis exemplo propria persona in supremo aulæ judicio præsidet) & sententias pro conditione causarum severè exsecutus est: semper tamen summi juris rigorem clementiâ & bonitate lenivit, juxta dictum Sapientis Regis: Misericordia & veritas custodiunt Regem, & clementiâ stabilitur thronus ejus. Nam ut in Deo, inter omnes reliquas virtutes, bonitas & misericordia eminent ac elucet, ut scriptū est: Misericordia superat judicium, & misericordia Domini super omnia opera ejus: sic in piis Principibus, qui imagines Dei, ac (ut Psalmus nominat) Dii super terram, qui divina officia loco Dei administrant, hominibus verâ Dei agnitionem, pacem & disciplinam impertiunt, rectè judicant, probos defendunt, maleficos puniunt, semper misericordiæ & bonitatis major, quàm stricti juris ratio habetur.

Suntq; hæc politicæ gubernationis officia: Dei legem subditis, ut vitam in externis moribus suam ad illius normam regant, fideliter proponere: in gubernatione, in judiciis, in bellis assiduè & strenuè laborare, causas audire, & componere, vel rectè judicare: viduas & orphanos tueri, maleficos supplicio severè afficere, Christianam religionem & patriam animosè defendere, & similia, veri & Deo maxime placentes cultus, (sublimiores & sanctiores, & ma-

joris æstimandi, quàm simulatæ ceremoniæ quantumvis spectosæ) si modò in corde vera agnitio & invocatio Christi præluceat, quòd Deus propter filium suum tibi propitius sit, ac in tua vocatione officiũ in honorem Dei & proximi salutem fideliter exequaris.

Tali luce fidei prælucente, optimus Princeps, hæc à Deo mandata opera gubernationis perfecit, quæ Dei timorem, summam diligentiam, magnum laborem & patientiam requirunt: ita, ut quis magis quietam & tranquillã vitam otiosi monachi, cujuscunq; etiam durissimi ordinis expetat, quàm Princeps, miles, vel paterfamiliãs esse oportet. Ac hic laudatissimus & sapiens Princeps sciebat veros Dei cultus esse opera à Deo ordinata, & unicuique in sua vocatione mandata, & Deum humanam societatem variis vinculis colligasse, ut in cœtu & frequentia veri Dei notitia luceat, ac vult ut fidem erga Deum, & dilectionem proximi in his operibus exerceamus, sicut hic laudatissimus Princeps (exemplo Eldræ & populi Israël, qui post reditum ex Babylone, dum una manu templum Hierosolymitanũ exstruerent, altera contra incursiones vicinorum hostium Sanaballath, Reum, Simsai, sese defendebant) semper, præcipuè in exordio Ducalis administrationis suæ, simul cum regionis gubernatione assiduè etiam bellum gessit, vel in quotidiano belli periculo & apparatu fuit, in quo fidem suam declaravit, quòd conservandæ veræ de Christo doctrine, & agnitionis salvatoris Christi, defensionis subditorum, pacis, omnium matronarum & liberorum causa, accensus amore & fide erga Deum & proximos, corporis ac vitæ periculum contra hostem subire, paratus sit. Et in his assiduis periculis Deum seriò invocavit, & invocari curavit, & alios sua confessione & invocatione cõfirmavit, melioresq; reddidit. Sicuti Christiani milites, S. Mauri-

tius,

tius, Attalus, Asterius, Cornelius, etiam sub Ethnicis Imperatoribus, ac multi Christiani Reges & Principes, Constantinus, Theodosius, Carolus, Otto, in bellis Deum invocarunt, & ad conservationem & celebrationem veræ agnitionis Christi bella direxerunt.

Dedit etiam Cels. ipse Consiliarios sapientia & virtute ac fide præstantes, veritatis ac pacis amantes, & in hos aliquot bellorum peritos, qui Cels. ipse consilio & opera servire potuerunt, qui ut fideles coadjutores Cels. ipse, difficiles & molestis gubernationis labores, pacis & belli tempore fideliter sublevarunt. Sicuti etiam Cels. ipse in testamento, junioribus Principibus, & Illustrissimæ Principi matri, senes, peritos, sapientes, & autoritate valentes Consiliarios nobiles, Wilhelmum ab Erfferd Burgabium, Gerardum Nolde in Hasenpot, Georgium Virix Capitaneum Goldingensem, Georgium à Tiefenhausen Cancellarium, Bartoldum Buttler militiæ ducem, Salomouem Henning, Christianum Schroder, &c. adjunxit. Qui etiam vivente Cels. ipse, gubernationis onus fideliter sublevarunt, & à Cels. ipse rursus tanquã fratres amati, & honore affecti sunt. Nam Cels. ipse erga omnes ministros & subditos, non ut severus dominus, sed tanquam pater, benignum, amabilem, humanum & mitem, verbis, gestibus & variis beneficiis se declaravit. Plato dicit, optimam alios gubernandi rationem esse, non præcipere multa & mandare, sed ut, quæ aliis præcipis, ipse facere videaris.

Ita hic probus Princeps, omnibus virtutum exemplis toti domui & familiæ suæ aulicæ, totiq; ditioni præluxit, veram de Deo doctrinam diligenter audivit, legit, consideravit, & fide amplexus est, Deum quotidie seriò invocavit, & in hac fidei luce præeunte omnes virtutes exercuit: verax, justus, Regi suo fidelis

delis & obediens, subditis clemens & benignus, in omni gubernationis officio diligens & patiens, & in privata vita sobrius, vigilans & temperans fuit. Pudorem & verecundiam amavit: conjugium cum Illustriſſima Principe, domina Anna, ex Ducum Megapolensium ſtemmate oriunda, &c. Chriſtiana fide fervavit, ac ſingulare Dei beneficiũ fuit, quod optimum hunc & pium Principem, ejuſdemq; regiones & ſubditos, hac piã, prudente, & omni matronali laude præſtanti domina, quæ domini & mariti ſui fidelis adiutrix, curarum lenimen & corona, Eccleſiæ & miſerorum ſubditorum tutrix & nutritia, & totius patriæ in hodiernum uſq; diem mater eſt, clementer donavit & ornavit. Nam juxta pulcherrimũ dictum Jeſu Syracidæ: *Quemadmodum Sol ortus in cœlo Domini altiſſimo ſummum decus & ſplendor eſt:* ita hæc Chriſtiana & prudens Ducisſa, totius Ducatus ſplendida lux & ornamentum, & non modò chariſſimi Domini ac mariti ſui, verũ etiam totius regionis corona eſt. Quæ chariſſimum & optimum Principem, dominum ac maritum ſuum, velut unicum & ſummum in his terris bonum & theſaurum ſuum unicè expetere & amare: in eo uno & ſolo adquiſcere & lætari, huic grata dicere & facere ex animo ſtudere, hunc curis & laboribus gubernationis feſſum ac ſubtriſtem tempeſtivis ſermonibus & officiis recreare, de eo libentiſſimè cogitare, loqui, & ſollicitudinem pro illius incolumitate ſuam aliis aperire, omnia ſua ipſi impendere & conſecrare, omnia quæ ipſi grata & jucunda eſſent, prompto & læto animo, ſummaq; cum alacritate obire, nulla pro ſalute mariti pericula, nullos labores & difficultates recuſare.

Dominum etiam & maritum ſuum, ut prudens Abigail, & Placilla Theodoſii Magni, ac Pulcheria Martiani Impp. conjuges, (ſi fortè falſis narrationibus

bus occupatus, vel alioqui commotus aberraret) tempestivè reverenter & summissè interdum admonuit ac subjecit, quod ad Dei gloriam, ac Ecclesiæ ædificationem, ad pacem & concordiam inter provinciæ ordines aleadam accommodatum & utile videbatur. Suis ac juniorum Principum & filiorū subditis, ut communis regionis mater summa fide præfuit, quos adhuc singulari clementia complectitur, Ecclesiis & scholis præsidio est, & pauperibus largâ manu benefacit, ac thesaurus est multarum virtutum, quas filius Dei, Sol veræ justitiæ, & omnis sapientiæ & virtutum fons, & scaturigo in Cels. ipsius corde accendit, & ad divini nominis sui gloriam, & multorum hominū salutem, utilitatem & commodum lucere, lateq; fulgere finit.

Deus hanc laudatissimam Principem, pro divinâ suâ voluntate, longo adhuc tempore, in juniorum Principum, & filiarum suarum & subditorum solatium superstitē conservet, ac divinæ suæ lucis splendore in sui honorem, ac multorum hominum & totius regionis salutem clementer regat & gubernet.

Cum hac laudatissima Ducissa, pius & optimus Princeps, juniores Duces & filias ad veram Dei & Domini nostri Jesu Christi agnitionem ac invocationem educavit, Ecclesias & scholas totius regionis in meliorem statum redegit, ac brevi ante mortem pulcherrimum Mitoviæ arcis templum extruxit, in cujus consecratione, non Germanico tantum sermone, concionem haberi Cels. ipsius, sed à juniori etiam principe Friderico Latinam orationem recitari mandavit: ex qua singularem voluptatem & recreationem senex pater cum domina matre ceperunt. Ac ut summatim, quod suprâ dixi, reperam, tota hujus Domini vita speculum ac exemplar omnis pietatis, & Principe dignarum virtutum fuit. Quare sanctam

sanctam hanc & Christianā vitam, beatus & felix exitus secutus est, ut quotidie Cels. ipsius in morbo Christianam confessionem repeteret, & læto animo, sub divinis promissionibus cōsolaretur, & Domino nostro Jesu Christo animam suam commendaret, ut palām appareret, Deum ipsum, per filium & Spiritum sanctum æternam lætitiā in ipsius animo accendisse, & hunc pium principem, Ducem Gothardum, ex eorum numero esse, de quibus scriptum est: *Beati qui in Domino moriuntur: & qui perseverabit usq; ad finem, salvus erit.* Atq; hujus Domini vita & mors, exemplum est, quod omnes imitari, indeq; discere debemus pietatem in omni vita, & præparationem ad beatam ex hac ærumnarum valle migrationem. Cū igitur hic Princeps Illustrissimus testimonia præsentia & gratiæ divinæ in vita & morte habuerit, nos etiam omnes hujus Principis confessione confirmari debemus, ac in primis Illustrissimi Celsitudinis ipsius filii, qui nunc divina ordinatione domino parenti in Ducali gubernatione succedunt, non solum domini parentis regionem & subditos, verum etiam pietatem paternam, & alias Principe dignas virtutes hæreditate adire ac æmulari debent. Spero etiam hanc simplicem & brevem Christianarum virtutum, quæ in Cels.V. domino parente luxerunt, annotationem, Principibus filiis & hæredibus non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum jucundam & gratam fore. Quas Cels. ipsorum, haud dubiè grato animo & ore in Dei laudem, & domini parentis honorem sæpè considerabunt, & gratā memoriā recolant ac celebrabunt, & in sua etiam gubernatione, domini parentis exemplo, Deum invocabunt, in Deo fide acquiescent, & Dei præsentiam, auxilium, consilium ac eventus salutare expectabunt. *Æterno, omnipotenti, benigno Deo, patri Domini*

mini nostri Jesu Christi , qui Imperia in terris ipse constituit , distribuit & servat , ac interdum bonos, moderatos & idoneos gubernatores impertit , ex animo gratias ago, quòd hunc laudatissimum & optimum Principem , afflictæ Livoniæ , his periculossimis temporibus, clementer largitus sit, & hujus domini pietate, prudentia, sapientia & bonitate publicas pœnas mitigarit , & magnam Livoniæ partem recrearit , & collapsam Rempublicam , veram religionem, disciplinam & judicia restituerit. Et ardentibus Deum votis precor, ut deinceps quoque in Ducatu Curlandiæ & aliis regionibus cleméter pacem, & ipsi placentem , felicem gubernandi rationem & victum largiatur, & Spiritu suo sancto Illustrissimos Curlandiæ Duces ad salutaria consilia, & actiones Deo gratas & Reipublicæ salutares gubernet, ut celsitudines ipsorum ad Dei laudem, & Ecclesiæ Christi ac subditorum salutem , longo tempore, laudatissimi domini parentis exemplo, regionibus & subditis suis præsent, ita, ut cum Deo æternùm vivant, cumq; perpetuis laudibus celebrent,

A M E N.

F I N I S.

